





EPICEDIA

In

Præmaturum quidem, sed tamen beatum ac
placidum obitum

*AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, EXCEL-
LENTISSIMIQUE VIRI,*

DN. HERMANNI BRVNSVVIGII, I. V. D.

quondam experientissimi, inclytæ
Reipublicæ Sedinensis Syndici disertissi-
mi, Scholæq; Senatoriæ Ephori
faventissimi,

*Cum gemitu & lacrymis
fusa*

ab Amicis.



STETINI,
Literis GEORGII GOETSCHII
ANNO M. DC. XXIV.



SYNDICUS Urbis eras noſtræ, ô HERMANNE, celebris,
Brunſvvigidum quondam gloria, fama, decus!,
Et Te præſtabas tùm Manſuetudine talem,
Tùm ſolidâ Juris cognitione, fide,
Ut meritò eximius Te noſter Amore Senatus,
Et quivis coleret Civis Honore piô.
Hinc jam Te quivis deſiderat, improba Fata
Si curare modò vota profuſa volent. (Lycéi.
Noſtri Inſpector eras; ubi eras; HERMANNE,
O quàm Te placidum ſenſimus usq; virum!
O quàm Fautorem Te ſenſimus ordinis hujus
Abjecti noſtri! quàm quoqué munificum!
Si vel ſingultus, ſi vel ſuſpiria poſſent
Noſtra aliquid, vitâ jam fruerére novâ.
Sed proh! nîl poſſunt. & ſi quid fortè valerent,
Reſpueres altô pectore id omne tamen;
Ut qui cœleſtẽ tralatus es alite fauſtô
In requiem, nemo quâ repedare cupit.
Ergò

Ergò Brunſvvigidum celeberrima gloria Gẽtis
O HERMANNE, vale, perpetuoq; vige.

ex verô cordis adfectu gemebundus f.
M. Martinus Bambamius P. L. Cæſ. & Sch:
Sedin. Sen: ConR,

ALIUD,



Andidus jrriguis ceu flos marceſcit in hortis,
Veſpere demittens adveniente caput;
Jllius & venti vel vi concuſſa, vel jmbre,
Læta quidem ſpecies, quæ fuit antè, cadit:
Sic modò qui fuerat florens & vividus annis,
Et cuî ſpectatus tinxerat ora color;
Hunc ventoſa citæ rapit inclementia mortis
Concuſſum, terris nec ſupereſſe ſinit.
Invida MORS, quinam ille furor, vel turbidus error,
Vel rabies potius quæ tibi tanta fuit?
An te non animi facilis clementia movit,
Quâ cunctis poterat gratior eſſe viris?
An te non movit mens conſultiſsima rerum,
Non & dicendi copia ſuaviloquens?
An non ille decor frontis nitidiſsimus? annon
Compoſiti geſtus, vivida membra ſimul?
Collachrymant nati & noti: fidiſsima conjux
Squalida continuis luctibus orba jacet.
Ipſaq; communem teſtatur Curia cladem,
Hoc orbata viro, fletibus ora rigans,

 Flent

Flent Musæ, luget Phœbus; Cyllenia proles
Incusat virgæ tristia Jura tuæ.
Eventus siquidem communes plangere mandant
Biblia, naturæ Lex, socialis amor.
Non tamen extinctum fas est sine fine dolere,
Aut nullum lachrymis imposuisse modum.
Nam quanquam sisti Lex ad vadimonia mortis
Hunc nostrum voluit; non tamen is perijt.
Ante DEUM quoniam manifesto in lumine gaudens
Ambulat, & nostrum despicit ipse solum:
Et præsens fruitur vitâ, quam credidit absens,
Inter & Electos, Æthereosq; Choros.
Ipsius ergò nimis lachrymis urgere sepulchrum,
Invidiæ fuerit, non pietatis opus.

Debitæ observantiæ, & veræ condolentiæ ergò fecit

ANTONIUS VVALTER, Sch. Stet. Senat. SubRector.

ALIUD.

SI Schola deflevit patronum morte peremptum,
Si cuî persolvit debita justa viro:
BRUNSWIGIUM meritò fato deplorat ademptum,
Qui multos annos vivere dignus erat.
Magna satis nobis occurrit causa doloris,
Quâ vel & inviti solvimur in lachrymas:
Si quis enim nobis divinâ sorte patronus
Affulget, qui sit firma columna scholæ,

Sollicitâ

Sollicitâ noſtros penitus qui mente labores
Rimatur, digno calculo & usq; probat.
Quiq; laborantem juſtâ mercede laboris
Cognoſcit dignum, ſubſidioq; levat,
Lance opus & pretium juſtus qui ponderat æquâ,
Non,datur & ſi quid, perditionis agit.
Oſtendunt hunc Fata virum, nobisq; nec ultrâ
Eſſe ſinunt; ſors hunc invidioſa rapit.
Nonne igitur meritò fata incuſamus iniqua?
Fata viris privant nos ſpoliantq; bonis.
Talis erat nobis BRUNSWIGUS fautor amandus,
Hoc cujus tumulo condimus oſſa die.
Ingenuus, bonus & nulli virtute ſecundus,
Moribus in placidis candor apertus erat.
Et labor, ille, ſcholæ vel quantus, quamq; moleſtus,
Noverat, haud multos ſecula noſtra ferunt.
Id qui cognoſcunt: Multi nos perdere tempus
Cenſent, jucundâ nosq; quiete frui.
Sed valeant: Quod grata DEO, nos ſcimus, opella
Noſtra ſit, hæc fructu non careatq; ſuo,
Cujus præſidio nos commendamus, abunde
Ipſe patrocinio nos teget usque ſuo.
Et ſi non multos, paucos tamen ille patronos,
Qui foveant operas corde favente, dabit.
Talis cum fueris Doctor BRUNSWIGE, dolemus
Hinc obitum gravius mente gemente tuum.
Sed cum non votis poſſis revocarier, ipſe
Nec mutare velis terrea cum ſuperis:
His ſalve, & BRUNSWIGE vale, vale Fautor, in urnâ
Et tumulo terræ ſit tibi grata quies.
Spiritus æthereas tuus hinc qui ſcandit ad arces
Conſpectu fruitur, Colloquioq; DEI.

Luce sub extremâ capiet cum corpore junctus
Gaudia perpetuo non peritura die.

συμπαθείας & affectus Contestandi
gratiâ apponeb.
Ertmannus Vilterus S.S.S. Collega.

ALIUD,

TUMULUS
ex quo
Defunctus ipse loquitur

STetini veteris dum magna negotia tracto
Afflictis cupiens addere rebus opem.
Me fera mors medio in cursu florentibus annis
Aufert cum non dum sex, duo, lustra tuli.
Clarum BRUNSWIADVM quis nescit stemma, decusq;?
Hic HERMANNUS ego sum procreatus avis.
Terreus hic Tumulus nunc velat corporis ossa,
Spiritus in cœlis jubila læta canit,
Qui legis ista, miser longæ spem pone senectæ,
Quo minimè credis mors venit atra die.

Johannes Stöbelo S.S.S. Coll.

A L I U D.



SUada, Themis, Pietas Juris fecêre peritum
BRAVNSCHVVIGIUM, Lachesis quem sic elice necas.

Qui

Qui fuit eloquio præſtans, oculusque Themi-
ſtos
Conſilij patriam dexteritate juvans,
Ardens cuj pietas, nec in vdis deflua labris
Hæſit, at in ſummo pectore fixa fuit.
Hunc, proh! MORTA ferox, ſtrictim furcali-
(bus auſis
Demetis eximium laude fideq; virum.
Quem dignum voluit Cumæos vivere ſoles
Alma Themis, totus Pieridumq; chorus.
Cui proclive fuit multos excellere factis,
Et placidè cauſas compoſuiſſe fori.
Non tibi Teutonici diplomata nota Monarchę,
Queîs à vi tutos præcipit eſſe viros
Quorum, ut ſol radians, Ars totum illuminat *aut. habi-*
Quęq; Dej, populos format, ad imperiũ? [orbẽ, *ta. C. ne fil. pro*
Inſcia quin magis es juris; cum tollere quartam *pr. I. de L.*
Falcidiâ deceat; falce quod omne rapis; *Fal. Ulp. frag. t. 24.*
Ut nec Bellerophon pulcher, nec fortis Achilles *§ 30.*
Effügiat diras fatiferasq; manus.
Iudice me, toto trudaris climate mundi:
Ut latro, ut nebulo, cum genitrici ſimul.
Sed tu fle Pietas, fle Curia, civica turba, [ſubijt:
Quando ſandapilã BRAUNSCHVVIGIUS
Cujus

Cujus jam exuvias denati crypta recōdit,
Edita ſed cœli mens anabathra petit.
Inter ibi Elyſios æternum læta Quirites
Degens, jus capiet municipale poli.
Interea manes epulis accumbite Divûm
BRAUNSCHVVIGII,& partâ pace valete
[diu.

Joach. Hammermeiſter LL. Stud.

FINIS.



